



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119177

§. 100. Gallo-Suecorum res in Imperio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

ftulabant. Reclamarunt vero Oratores ^{Sæc. XVII.}
 Brandenburgici, additis etiam minis de- ^{A.C. 1646.}
 clarantes, se nunquam passuros, ut
 Pomerania tota Electori suo eriperetur,
 proin se in compensationem damni Glo-
 gaviæ, Saganum, Magdeburgensem,
 Halberstadensem, Mindensem, Osnab-
 ruganum, & Monasteriensem Episco-
 patus petere. Demum circa hæc po-
 stulata crebræ habebantur consultatio-
 nes, decisione ad Suecorum Reginam,
 & Electorem Brandenburgicum remissa:
 Fabius vero Papæ Nuntius contra Epi-
 scopatum cessionem, & Suevicæ ac
 Hassiæ satisfactionis articulos, quan-
 tum in Protestantium favorem cederent,
 haud minus quinques, incassum licet,
 reclamabat; cumque hisce tractatibus
 postremam manum Osnabrugæ admo-
 veri intelligeret, ne Catholicæ Reli-
 gioni detrimentum accederet, Deputa-
 tos eo ablegare decreverat: quoniam
 vero nonnulli hac ratione pacis cursum
 sisti timerent, duntaxat illis, quos Ve-
 netus Orator eo destinaverat, negotium
 dedit, ut suo nomine Religioni pro-
 spicerent.

§. C.

Gallo-Suecorum res in Imperio.

Cum interea Galli Suecique incredi-
 bili postulandi audacia Cæsareos ^{Hist. des}
 Vicecomt.
 Z 4 ^{Mo-de France.}

Sæc. XVII. Monasterii fatigabant, variis artibus
 A. C. 1646. armatas quoque minas addere non ces-
fabant, ut quod causæ justitia non
 possent, id saltem per obfirmatam vio-
 lentiam perfringere valerent; postquam
 enim Turrenium Franciæ Marefcallum
 cum exercitu suo in Hassiæ finibus castra
 locasse compererant, palam minitaban-
 tur, se effecturos, ut Turrenius copias
 suas Suecicis jungeret, nisi Cæsarei in
 Gallo - Suecorum postulata protinus
 consentirent. Nec in minis hæsit eo-
 rum pervicacia; quamprimum enim
 Gustavus Carolus Urangelius, qui Tor-
 stensonio in Suecici exercitus Imperio
 successerat, educto e Bohemia exercitu
 Visurgim versus contenderat, mox Tur-
 renius promotis castris Moguntiam mo-
 vit, Suecorum adventum præstolatu-
 rus; interim Urangelius rapido felici-
 tatis cursu Hæxteram, Paderbornam,
 Lemgoviam & Statbergam suis armis
 subjecit, seque Gallicis copiis adjunxit:
 unde Leopoldus Archidux cum Cæsareo-
 Bavaro exercitu in Hassiam & Wetera-
 viam progredi compulsus, castra apud
 Ilmenstadium posuit. Turrenius vero
 & Urangelius trajecto Mæno Selingsta-
 dium & Schafnaburgum Moguntino
 Electori eripuerunt, ac continuata victo-
 riarum felicitate pestem, terroremque
 late diffuderunt: Hæserat Leopoldus
 in

Adlv. anal.
Bav. par. 3.
lib. 31.
Brachel. hist.
temp. 1. 6.

in suis castris oppido munitis, hostilem Sæc. XVII.
 aggressionem avide præstolatus: verum A. C. 1646.
 Gallo- Sueci simulata nova in agrum
 Moguntinum irruptione Cæsareorum
 castra feliciter transgressi, subito in
 Franconiam ac Sueviam diverterunt,
 occupatisque transeundo cunctis urbi-
 bus toti Regioni pecuniarum tributa,
 abstractis secum obsidibus imposuerunt:
 Nihil autem Gallo- Suecis desideratius
 erat, quam Bavariam invadere, atque
 Maximilianum Electorem, quem po-
 tentiorem Cæsaris amicum, & Catho-
 licorum vindicem respiciebant, ad ex-
 tremas redigere angustias. Eo consi-
 lio Danubium versus movent, & pri-
 mo Schorndorffium, Dinckelspilam,
 dein Nordlingam, & Donawertham,
 atque alia ad Danubium loca occupant:
 Resistendo impar erat Elector Bavarus,
 quapropter pretiosa quævis Monachio
 Burghusium transferri jussit, ipse vero
 everfis Dillingæ, & Höchstadli ponti-
 bus Brunoviam secessit: cum vero
 Lauingæ pons nondum esset dejectus,
 Sueci trajecto Danubio Rainam urbem
 octo dierum spatio expugnarunt, totam-
 que circum Regionem militum licen-
 tiæ ac deprædationibus exposuere.